

non aliam expetivit D. Thomas Aquinas pro labore scriptionis suæ. Cum enim Christus ei diceret: *Bene de me scripsisti Thoma; quam mercedem postulas?* respondit Thomas: *Domine non aliam nisi teipsum.*

Secundo, vitam æternam seu beatitudinem cœlestem: primo, quia denarius numerus est perfectus claudens in se omnes numeros, beatitudo est status omnium honorum aggregatione perfectus. Secundo, denarius rotundus est, sine et initio carens: similiter beatitudo æterna. Tertio, quia ut denarius imaginem regis, ita beatitudo Deum in se continet ac possidet.

Porro hic denarius *diurnus* dicitur primo, quia pro labore vitæ ejusque, quæ uni diei comparatur, redditur. Secundo, quia in die gratiæ pro eo laborandum. Tertio, quia in ea felicitate nox et ignorantia nulla.

Unus est, quia una omnium essentialis beatitudo: quam tamen alii minus participant, sicut stellæ lumen solis; vel sicut diversi lectores, qui eundem librum legunt, aliter enim cum legit rhetor, aliter grammaticus, aliter theologus, etc.

Anticipatio mercedis diversitatem accidentalis præmii significat.

IX. Quando datur illa merces? Respondetur in fine diei post laborem, id est, illico post mortem; id enim indicat parabola et probatur in complem. S. Th. III. p. q. LXIX. art. II. ex apostolo, qui ait terrestri domo dissoluta habere nos in cœlo domum non manufactam, II. Cor. V. Et frustra alioquin idem apostolus cuperet dissolvi et esse cum Christo, si ante extremum judicii diem cum eo esse non potuisset, ad Philip. I. Quare sicut in corporibus est gravitas et levitas, quibus statim unumquodque fertur in locum suum, nisi impediatur: ita in animabus est meritum vel demeritum quibus perveniunt ad præmium vel ad penam, quæ sunt finis actionum ipsarum, statim resoluta vinculo carnis, nisi

aliquo impediatur, quod prius purgari deo teat.

X. Quomodo novissimi primo recipiunt mercedem? Resp. primo, quia constituti sub nova lege minus expectare debent, sed ab obitu statim suo præmium accipiunt: veteres patres in limbo expectare adventum Christi debuerunt. Qui post unam horam accipit a te beneficium, prior utique accepit, quam qui post horas duodecim.

Resp. secundo, quia propter majora merita ad altiorem gloriæ gradum evehentur et ita præcedent illos.

Verum quomodo novissimi breviori labore plus meriti pararunt? Resp. quia res magis arduas et difficiles tametsi breviori tempore gesserunt. Patet in anachoretis, martyribus, confessoribus, virginibus nostris, quorum certaminibus et heroicis factis comparari veterum patrum facta nequeunt, nisi admodum paucorum. Status matrimonii laboriosior est statu virginitatis, non tamen majoris meriti, sed minoris longe.

Ad hæc non considerat Deus quantum, seu ex quanto quis operetur. Caritas ejusque fervor mensura est honorum operum. Cursor excitatus facile assequitur, aut etiam prævertit claudum vel tardigradam viatorem, qui aliquot horis præripuit iter.

XI. Quid sibi vult murmur operariorum? An in cœlo murmur? Respondimus ad hoc supra conc. IV. hujus dominicæ initio.

XII. Quis vineæ procurator? Resp. Christus, qui unumquemque in vitæ suæ vespere, morte scilicet, vocat ad mercedem, ac demum in fine mundi vocabit simul omnes, tuba illa angelica: *Surgite mortui, venite ad judicium.* Procurator hic fidelis est, quia neminem decipiet: sapiens est et omnia pervidet, unde a nemine decipietur, qui sicut unicuique reddet mercedem suam, ita nobis rogandus ac placandus est, ut reddat nobis cœlestem.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

INCITAMENTA AD OPERANDUM IN VINEA DOMINI.

I. Quia nulla hic causa otiosi. — II. Quia hic locus operandi. — III. Quia otium culpabile. — IV. Quia tempus pretiosum. — V. Quia otium perniciosum.

### THEMA.

*Quid hic statis tota die otiosi.* Matt. XX.

Isaias postquam, cap. XI. descripsit Christum

Dominum variis Spiritus s. donis repletum, addit hoc, ad donum fortitudinis ejus spectans: *Et percutiet terram virga oris sui.* Ecce vero terram? Lingua enim aerem, non terram verberamus. Mihi sane videtur in terræ vocabulo contemplatus esse homines ignavos atque otiosos. Sola enim terra e quatuor elementis, suo semper loco velut ignava stat immobilis. Aquæ fluint, aer ventis agitur, ignis inquietus semper altum petit, terra sola se non movet; otiosi ergo hominis speciem representat. Hanc terram, ut

prædixit Isaias, cap. XXII. dicens: *Terra, terra, terra audi sermonem Domini,* percutit Christus Dominus virga oris sui, cur in persona patrisfamilias increpat otiosos dicens: *Quid hic statis tota die otiosi?* Quot verba, tot sunt verbera, et stimuli ad operandum incitantes otiosos, quos hic expendemus.

I. *Quid?* Hoc est, ob quam causam? Quasi diceret: Nullam prætereundere potestis. Operarii alii respondere possent primo: *Nemo nos conduxit;* non invenimus dominum, libenter operaturi, si quis nos conducere, unde gratulantur sibi, cum habent stabilem dominum, cui laborent. At nos hoc dicere non possumus, dominum habemus Deum, a quo conducti sumus, ex quo per baptismum ingressi Ecclesiam sumus, de mercede cum eo pacti sumus. S. Anselmus adhuc puerulus per visum ascendere sibi in cœlum, quasi montis cacumini incumbens, visus, in ascensu cernens messoris regis cœlestis nimis remisit rem facere, minatus est se eos coram rege accusaturum, quod tanto scilicet domino tam negligenter laborarent, ut in ejus vita, Sur. 21. april. Quæ visio indicabat industriam ejus indolem, otio inimicam, et cœli Regi, Deo, gnaviter servire cupientem; interim docet ex ore infantis quam solerter nos laborare et servire tanto domino et remuneratori debeamus: jureque meritissimo increpandos, qui hoc non præstant.

Secundo, justam sibi mercedem non offerri. Neque hoc valet; quia quidquid fructus labore nostro paramus, id totum nostrum est. Quis dominus hoc pro mercede dat operario? Merces est denarius, id est, status omnium honorum aggregatione perfectus, sicut denarius numerus est perfectus. Is rotundus est, quia merces infinita. Imaginem principis continet, quia visio ac fruitio Dei. Diurnus est, quia brevi labore comparatur. Neque enim jam octingentis aut nonagennis annis vivimus, ut homines ante diluvium. Currunt operarii multorum dierum itineribus ad regiones, ubi magna merces datur; ubi vere majorem mercedem invenimus, quam apud Deum?

Tertio, multis sibi diebus, v. g. per hiemem aut in diebus saltem festis laborandi occasionem non esse. Neque hoc; omni enim tempore laborare et lucrari cœlum ac parare merita possumus. Felices illi reputantur, qui toto anno et singulis diebus lucrum facere queunt: quomodo enim non ditescant? Nemo hoc concessum est. Quid non darent inferi aut etiam purgantes animæ, ut jam operari aut redimere pœnas suas labore possent? Hoc est, quod dixit Dominus, Luc. XVII. *Veniet dies, quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis.* Qua ra-

tione? *Dies enim iste dies operationis est: dies autem ille, qui sequitur, dies est feriarum,* ut ait S. Chrys. homil. XXXIV. oper. imperf. in hoc evangelium.

II. *Hic primo, hic in foro, et loco negotiationis:* forum enim a ferendo dictum, ubi aut afferunt aut auferunt aliquid homines, sicut et formicæ a ferendis micis dictæ. Adam in paradiso operari debuit, (ita enim dicitur Gen. II. *Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum;*) quanto magis nos in exilio? Ergo Adam, quia otiosus erat, ejectus est e paradiso: e contra Paulus, quia in laboribus et ærumnis degebat, in paradysum raptus est, ut advertit S. Chrysostomus, homil. I. ad popul. Porro exul e paradiso Adam, imperator orbis erat, et tamen laborare debuit. Ad hæc ipse, ejusque posteri in pœnam peccati ad labores, quasi ad metalla damnati sunt. *In laboribus comedes ex ea (terra) cunctis diebus vitæ tuæ:* item: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Quare filium Adæ videtur se negare, qui recusat laborare. Audiamus S. Bernardum, serm. de sapientia et prudentia: « Cum legatur, inquit, Adam in loco voluptatis ab initio positus, ut operaretur, quis sanus sapiens, filios ejus in loco afflictionis ad feriandum positos arbitretur? »

Secundo, *hic in foro,* ubi varia hominum coluvies, ubi alter alteri laqueos tendit, et provocat ad potandum, ludendum, supplantandum. *In medio laqueorum ingredieris,* ait Ecclesiasticus, cap. IX. de eo, qui in oculis principum versatur. Idem etiam de aliis, qui in hujus mundi forstant, recte dici potest, præsertim si otiosi sint: nam priscorum monachorum hæc erat sententia: *Operans uno dæmone, otiosi multis pulsantur.* Testis est Cassianus, libro X. institut. cap. XXIII. Hinc S. Antonius a Deo audivit: *Antoni, quæris Deo placere? Ora, et dum orare non poteris, manibus labora et semper aliquid facito.* Quamdiu David exercuit se in militia, non insultavit illi luxuria: sed postquam otiosus in domo remansit, laboravit adulterio, et homicidium commisit. Samson dum contra Philisthæos bellavit, non potuit capi ab hostibus, sed postquam dormivit in sinu femine, et otiosus cum ea remansit, mox capitur et cæcatur ab hostibus. Salomon dum occupatus esset in ædificatione templi, non sensit libidinem: sed quamprimum vacavit ab opere, sensit insultum luxuriæ, et adoravit deos alienos.

Tertio, *hic, in Ecclesia et horto Christi,* ubi non nisi frugifera arbores esse debent. Scimus enim quale judicium tulerit Deus super ficum, triennio in vinea toleratam, nec tamen fructus dantem: *Succide illam,* ait, *ut quid etiam terram occupat?*

Lucæ XIII. quasi diceret: Non est digna, ut vel terram occupet in vinea mea. Onus ergo terræ sunt otiosi, eamque frustra occupant, adeoque nec vita digni. Vacent otio illi, qui extra vineam Ecclesiæ sunt, gentiles, Turcæ, Judæi, hæretici, schismatici, ubi parum aut nihil lucri sperandum: steriles sint arbores, quæ in silvis sunt: in Ecclesia vero Dei, ubi plurima lucrandi occasio est tales esse non decet.

III. *Statis*: primo, ad vestram damnationem, qui pedes non tam ad standum quam ad ambulandum: manus ad laborandum, sicut avis alas ad volandum accepistis, ut dicitur Job V. *Homo nascitur ad laborem, et avis ad volandum*. Accedit S. Basilius, qui in reg. fusior. reg. XXVII. ait: *Deus qui nobis vires idoneas ad laborandum suppeditavit, ut in die iudicii parem quoque a nobis in laborando industriam reposcet*. Quis enim Dominus non requirit censum a subdito agricola, cui ad colendam vineam necessaria omnia dedit?

Secundo, ad vestram perniciem. Terra nisi excolatur, spinas gignit. Aer non agitatus fit pestilens. Domus non habitata corruiat. Via non trita obliteratur: instrumenta musica non pulsata destruuntur; arma non tractata æruginant: equus statione nimia fit inutilis ad gressum: stagnans aqua fetet, et vermes gignit: ensis vaginæ semper adhærens, rubiginem contrahit extrahique nequit: vestes in cista a tineis corroduntur: sic otiosi quoque ignavia corrumpuntur, et vitii obsordescunt. Themistocles adolescens dum otiosus esset, computationibus et libidini vacabat, ita ut pater eum abdicarit, mater ob ejus turpitudinem se suspenderit, Valer. Max. I. IX. c. XI. at ubi militiæ laboribus assuevit, adeo mores mutavit, ut a nemine unquam visus sit aliquid præter decorum agere. Causam ipse adscripsit occupationi militari, Plut. in ejus vita.

Tertio, ad vestram molestiam. Labor et occupatio recreat, et tempus jucunde transigit; otium parit tedium et quodam pondere gravat, unde enim diu stare molestius est quam ambulare. Laboranti melius sapit cibus quam otioso. E contra otium est vivi hominis sepulchrum, aiebat Themistocles ille, quem dixi experientia propria edoctus. Quæ autem delectatio habitare in sepulchro?

IV. *Tota die*: primo, die tam pretiosa, qua Deus solem tibi accendit et quasi lucernam ardentem præfert, tenetque, ut tu laborare possis. Qui nundinari non vult, quamdiu expositum in foro pendet vexillum, postea facultatem non habebit. M. Cato, gentilis homo, doluit, si vel unus dies inanis ei præterisset, Plut. in vita. Carol. V. imp. cum adolescens ad armorum et equorum

tractationem magis quam ad litteras avocaretur, iisque citius valediceret, Hadrianus ejus præceptor (postea Pp.) dixit ei, fore ut eum aliquando hujus negligentia pœniteret. Postea jam imperator cum Genuæ ornata valde oratione exceperetur, eamque minus intelligerit, suspirans dixit: *Jam sentio præceptoris mei Hadriani divina monita, qui prædixit mihi fore, ut me aliquando pœniteret mei neglectus*, Jovius in Hadriano.

Secundo, *die*, id est, vita tam brevi, quæ quasi una tantum dies citissime avolat. Ite pigri ad falcones Norvegiæ; hi enim nobilissimi et ad prædam celerrimi sunt: quia in Norvegia dies valde breves sunt, trium aut quatuor horarum, noctes vero perlongæ, ideo dum dies est, pernici admodum volatu prædantur. Audite lamentantem Job. c. VII. *Dies mei*, (non annos, sed dies appellat) *velociores fuerunt cursore, fugerunt et non viderunt bonum: pertransierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam*. Cum ergo tam celeriter avolent dies nostri, nonne ratio monet, ut eo impensius laboremus? Ipse diabolus descendit cum ira magna, sciens quia modicum tempus habet, Apoc. XII. tres scilicet annos cum dimidio, quibus prædas in mundo aget ultimas, tempore antichristi. Et non prædabimur nos industrie ad salutem nostram, cum sic ille prædaturus sit ad perditionem alienam?

Tertio, *tota die*, cum Ecclesiasticus, cap. XIV. dicat: *Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te prætereat*, quasi dicat: Dies bonus est donum bonum; ne ergo vel particulam ejus negligas; cum in quavis lucrari cœlum possis. Unde Bernardus, ser. de triplici custod. ait: « Non advertit insipiens, quid amittat. Libet confabulari, aiunt, donec hora prætereat. O donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio conditoris indulget, etc! » Nonne videmus quomodo aurifabri minima etiam auri ramenta diligenter conquirunt et reservant? At quanto pretiosius est tempus scribe illa modica?

V. *Otiosi*: primo, ergo nec comesturi, quia si quis non vult operari, non manducet, II. Thessal. III. Sic Probus imp. nefas esse dicebat, ut gratuitam annonam milvus comedit, apud Fl. Vopiscum. Angelottus cardinalis S. Marci, vir admodum facetus, cum ejus familia deducendi domini gratia (sicut non est) ad pulsati tintinnabuli signum non conveniret: ad horam postea mensæ vulpina cauda, ne sentirentur, aera percuti mandabat, sicque factum, ut pauci admodum præsentibus discumberent, reliqui impransi manerent, Volat. libro XXIII. anthroph. Qui non audit

## CONCIO II.

## VARII HOMINUM STATUS AD VINEAM MITTUNTUR.

I. Pauperes fodiant laborando manibus. — II. Divites stercorent, dando, elemosynas. — III. Pampinare debent filii. — IV. Parentes putent, reseccando quæ nocent filiis. — V. Mulieres alligent vites ad palum, seipsas custodiendo domi. — VI. Adolescentes et pueri efferant rudiatem seu lapides. — VII. Speculator sit magistratus.

## THEMA.

*Ite et vos in vineam meam*. Matth. XX.

Duo loca reperio in hodierno evangelio, admodum disparia: ad unum fere omnes compelli debent, ad alterum omnes ultro et conferim accurrunt. Prior est vinea, alter est domus patrisfamilias, ad hanc omnes operarii expedite convenerunt, quinetiam in ea litigarunt, quis plus mercedis accipere deberet: ad illam convenerunt valde lente et frigide, nec de labore lis inter eos fuit. Sed quid vos auditores? Numquid non etiam ad mercedis domum ibitis? Imo vero dicetis, et quidni? At necesse est, ut prius divertatis ad laborandum in vineam. Neque enim dicat mihi aliquis, se non esse operarium, nec habere quod in vinea agat aut operari possit; dabo enim omnibus et singulis suum proprium et convenientem laborem. Pergamus igitur alacriter ad vineam Domini.

I. Fodere debent pauperes, uti agricolæ et opifices, justo nimirum labore victum sibi parare: non otio se dare; neque etiam mendicare si possint laborare. Qui laborare voluerit, non egebit, teste Sap. Prov. VI. *Paululum conseres manus tuas ut dormias, et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus*, (quasi dicat: Expilabit te pigritia sicut miles domui tuæ immissus, vel apparitor, qui omnia tua effert, et sub hasta vendit: nec permittet te aliquid emere, quia nummis carebis). *Si autem impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longe fugiet a te*. Deinde, labores suos sancto fine cohonestent, offerendo eos Deo, ut sic meritum etiam in cœlo parent. Maximinus imp. qui quandoque non sine sudore lixas sexdecim, vicerat luctando, item, ex militibus sex fortissimos, sudores suos excepiebat in phialam missos, ut sextarios implerent duos, nonnunquam et tres, Cæl. I. VI. c. IV. Vos etiam operarii non sinite sudores vestros cadere in terram, sed offerte illos Deo: sic eos colligetis quasi in auream phialam, ut pro his mercedem in cœlo accipiatis: certe eos excipient angeli, et monstrabunt Deo.

pulum ad servitium, non auctat pulsum ad mensam: apud Gymnosophistas nemo adolescentum ad mensam admittebatur, nisi prius magistro pensum laboris sui monstrasset, Cælius, lib. XI. c. I. Similitam quid facit porphyrio avis, quæ non prius cibum capit quam commodum sibi locum nactus, aliquantisper ambularit, Aldrov. lib. XX. ornithol. c. XXVIII. Vade piger ad aves: bruta te coarguant.

Secundo, ergo nec mercedem accepturi. Ita enim paterfamilias in hodierno evangelio: *Voca operarios*, inquit, (non otiosos) *et redde illis mercedem*. Antigonus Macedo rex videns milites suos aliquot, armis ferreis et galeis indutos, sphaera ludere, eo spectaculo delectatus, vocavit eorum duces, ut coram iis milites laudaret. Verum cum ei nuntiatum esset, duces sedere et compotare, præfecturas illis ademit, et ludentibus militibus contulit, Plut. in apoph. Sic in evangelio Dominus ignavo illi servo, qui abseondit talentum suum, adimit et dat ei, qui operatus fuit quam diligentissime, lucrando quinque talentis suis totidem alia, Matth. XXV.

Tertio, ergo etiam increpandi: *Quid statis otiosi?* Et præterea multandi. Quemadmodum enim servus ille qui nihil lucratus est cum talento suo; tametsi id non perdidit, missus est nihilominus in tenebras exteriores: et hero nequaquam satis est, si servus dicat se nihil mali fecisse; sed vult insuper ut quid boni operis faciat: nec paterfamilias fuisset contentus, si dixissent operarii, se neminem turbasse, nihil in vinea destruxisse, nihil conculcasse, etc. nisi etiam laborem culturæ adhibuissent: ita nec Deo satis est, si nil mali agamus: puniet enim hoc ipso quod nihil fecerimus.

Athenienses olim, teste Valer. Max. lib. II. cap. V. examinabant eos, qui per urbem otiosi ambulabant, ac siquidem opificium aliquod senosse dicerent, manus eorum inspiciebant, quæ si callosæ non essent, tamquam homines otiosi ejiciebantur ex urbe. Idem sentient in divino examine otiosi. Sane teste Eusebio, lib. V. histor. cap. XV. *fratres Domini*, hoc est, propinqui Christi apud Domitianum quasi novarum rerum studiosi accusati, cum producerent manus callosas et laboribus laceratas, ab omni suspitione liberi sunt absoluti. Quisquis ergo in examine illo manus callo obductas et laboribus attritas poterit demonstrare, næ is bonus et fidelis servus audiet, nec solum omni suspitione et reatu absolvetur, sed condignam insuper mercedem, velut genuinus frater Domini accipiet.

II. Stercorare vineam divitum est. Qua ratione? Quia illi solent stercorare agros, qui fimeta habent: ea vero divites habent, non pauperes, quod probatur ex Boetio viro consulari et clarissimo, qui l. de consolatione scribit: *Divitias esse finum, qui in aevum congestus felidus, dispersus autem per agros, eos impinguat.* Apposita sane comparatio. Nam primo, ut finus est congeries sordium a pecoribus ejectarum: ita divitiæ cumulus pecuniarum a subditis fere vel emptoribus magna difficultate expressarum. Secundo, uti viri nobiles et civiles non patiuntur fimeta prope aedes suas, sed procul ea remouent: ita viri ingenui ac liberales amouent a se administrationem pecuniarum, ut imprimis Christus Dominus, qui Judæ proditori loculos commisit. Maximilianus I. imp. licet ingens quotidie summa pecuniarum ad eum adferretur, nunquam eas admisit in palatium, sed ad quæstorem semper deferri iussit, dicens se regendis hominibus, non administrandis pecuniis imperatorem factum. Refert scholiastes, in comment. Æn. Sylvii. Tertio, quia ut fimetum semper tetrum odorem exhalat: ita divitiæ magnæ semper infamia iniquitatis laborant, unde a Domino *mammona iniquitatis* appellantur. Quarto, quia ut fimetum, nisi in agros dispergatur, nihil omnino prodest; nisi ut in eo porci se volent: in agros autem dispersum plurimum conducit segetibus: ita divitiæ non utiliter erogatæ fomentum tantum sunt gulæ, libidinis et insolentiæ: at vero in aridos et famelicos pauperum stomachos dispersæ ingentem in cælo fructum ferunt.

III. Pampinare debent filii. Pampini sunt folia seu sarmenta vitium superflua, quæ succum earum exhauriunt, et solem ab uvis arcent. Hæc vero quid in filiis nisi subnascencia vitia, et verborum imprimis, uti mendacia, oblocutiones, vaniloquia, garrulitas? (folia enim verba, fructus sunt opera.) Hæc decerpenda sunt, quia multi filii pampini fructum exilem promittunt, nisi tollantur. Unde Ose. X. *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei,* h. e. fructus nullus vel exiguus, non melior foliis verborum inanibus et inutilibus. Communiter fit, ut filii, qui se in nimiam garrulitatem effundunt, adulta ætate desipiant. Unde ibi, pro *frondosa*, Hebraice habetur *bokec*, i. e. *evacuans*; quia dum nimis præmature evacuant se in multiloquio pampinos, postea defectu humoris intellectus desipiunt. E contra taciturni promittunt multum sapientiæ fructum; ut patet exemplo S. Thomæ Aquinatis, qui in scholis adolescens adeo silentium coluit ut a condiscipulis bos mutus appellaretur. Verum magister ejus Albertus Magnus dicebat: *Bos iste*

*mutus talem aliquamdiu edet boatum, ut vocem ejus totus mundus audiret sit, ut in ejus vita.*

Deinde, sicut pauca loqui, ita multa audire debent; adeoque solem sapientiæ sibi a parentibus et præceptoribus instillatæ admittere, ut maturecant. Patrem esse in domo quasi solem, matrem quasi lunam, discimus ex Gen. XXXVII. ubi Joseph. vidit se adorari a sole et luna, h. e. a patre et matre, ut recte exposuit Jacob. Horum igitur lumen, doctrinam et disciplinam libenter admittant, ut maturi botri fiant, dulces non agrestes. Ita sane monet Sapiens, Prov. I. *Audi filii mi disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia:* Septuaginta habent: *Corona gratiarum capiti tuo, et torques collo tuo.* Non tantum legem matris, quæ dulcius amat, ideoque blandius agit cum filiis: (nam *lunæ radiis non maturescit botrus*, vulgari proverbio.) sed etiam disciplinam et correptionem patris, qui fortius amat: quem admodum et solis lumen fortius est lumine lunæ. Itaque licet patris disciplina urat et terreat, libenter eam filii admittant quia inde maturescunt.

IV. Putare debent parentes, et qui parentum loco sunt magistri et præceptores; resecare videlicet a palmitibus, quod superfluum, eisque noxium est, luxuriantes surculos, falce correptionis et disciplinæ, sintque adeo similes cælesti illi agricolæ, de quo Christus: *Pater meus agricola est, omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit* (hoc est putabit) *eum, ut fructum plus afferat,* Joan. c. XV. Solent quidem putati palmites lacrymas quasi fundere aliquamdiu, (unde dicuntur *flere*) sed nihil id eis obest. Pari modo liberi parvi, licet fleant sub disciplina, nihil id curandum; uti monet Sapiens, Proverb. cap. XXIII. *Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur: in virga percussies eum, et animam ejus ab inferno liberabis.* Mira et horrenda res, quod etiam ipsis pueris imminere infernus dicitur; quod certe docet exemplum illud notissimum ex dial. S. Gregorii, lib. VIII. c. XVIII. de puero quinquenni, exerationibus assueto, nec a parentibus correcto, ideoque in patris brachiis suffocato a diabolo. Itaque viderint parentes, quid potius dare velint filiis immorigeris, virgam an gehennam. Si virgam non dant, gehennam dant. Hiene est amor, nonne hoc esset dare eis lapidem pro pane? Scorpionem pro ove? Serpentem pro pisce? Virga disciplinæ, si ab inferno liberos æripit, panis est, ovum est, piscis est: nimia vero indulgentia quid nisi lapis, scorpio et serpens est, si ad infernum promovet? Quot filii in adulta ætate quærentur de parentibus, quod non curaverint

eos informari bonis litteris vel artibus? Quot quærentur in inferno de iisdem, quod ab iis non castigati, aut severæ disciplinæ commendati sint? Communis multorum querela est de malis ac depravatis hominum, etiam clericorum moribus, sed quæ causa, nisi quia in pueritia a parentibus non sunt putati? Non correcti? Parentum ergo hæc culpa, non filiorum et clericorum est; ver certe potior.

V. Alligare debent mulieres, vites scilicet ad palum, partim seipsas, partim filias suas. Clarum est vites per humum diffusas putrescere, ideoque alligandas esse. Observatum etiam vitibus obesse vicinas brassicas et raphanos: unde naturali quodam odio vites abstrahere ab eis dicuntur palmites suos, teste Plinio, l. XX. c. IX. Sic etiam femineus sexus seipsum custodire, nec passim vagari debet, quod aperte docet apostolus, I. Timoth. V. *Otiôsæ inquit, discunt circuire domos, nec solum otiosæ, sed et curiosæ.* Præsertim vero se abstrahant a brassicis et raphanis, id est, ab impudicis et male moratis hominibus, nisi computrescere et perire velint. Cui vero alligabunt sese? Rosario, colui, acui, domui. Sane Aristoteles, V. politicorum asserit suo tempore in urbibus creatum fuisse præfectum, qui mulieribus intenderet, ne vagarentur, sed domi se continerent. Et apud Sinas, etiam hodie nervus pedis eliditur puellis, ne domo exeant. Domiportæ igitur esse debent, raro e domo prodire, et non procul ire, nec nisi tempore pluvioso, (uti solent limaces, qua cum sint teneri valde, timent conculeari ab hominibus; in pluviis autem homines se domi continent, nec facile iter agunt) seu tempore, quo pauci homines sunt in publico. Talis fuit imprimis vidua illa Judith, quæ in superiore parte domus fecit sibi secretum cubiculum, ubi eum puellis mansit clausa, Jud. VIII.

VI. Adolescentes et pueri e vinea auferant lapides, ruditatem, inquam, et inscitiam, lapidi quam simillimam. Aristippus philosophus a quodam interrogatus, quam ob causam filium suum ad politiora studia mitteret, nihilo enim per illa meliorem futurum, respondit: *Ut nihil aliud, certe in theatro non sedebit lapis super lapidem,* Laertius, lib. I. cap. VIII. Censuit ergo philosophus juvenem indoctum non esse, nisi lapidem: ac si talis insideat lapidi, tunc insidere lapidem lapidi. Non bene in horto lapis jacet, unde solemus dicere: *Mittam tibi lapidem in horto: nec honeste sedet rudis et indoctus in senatu vel consilio.* Lapis quidem nihil valet pro legatione: valet tamen aliquid pro jaculatione. Verum rudis adolescens nec valet ad legendum, nec ad jaculandum, juxta

nostram paræmiam. Igitur hi lapides ejiciendi sunt e vinea, et eorum loco inferendi hominesulti et eruditi. Et quid fiet ex his lapidibus hoc modo ejectis, et in homines conversis, pulchra metamorphosi! Utique maceria ad custodiendam vineam. Fient magistratus et custodes reipublicæ et defensores patriæ, ad eam gubernandam, informandam, conservandam.

VII. Magistratus est, in specula sedere et custodire vineam, clamoribus arcere fures; deinde increpare otiosos, qui in vinea non laborant. De primo scribit Ezechiel, cap. XXXIII. *Si speculator viderit gladium, id est, hostes! venientem, et non insonuerit buccina: et populus si non custodierit, veneritque gladius, et tulerit de eis animam: sanguinem ejus de manu speculatoris requiram,* quasi nimirum ipsi homicidæ fuissent. De secundo Ælianus, lib. II. variar. histor. cap. V. hæc scribit: *Lacedæmonii temporis parcimoniam magnopere putaverunt habendam impendentes ipsum sedulo ad seria negotia, neque cuiquam civium permittentes, ut vel in otio vel in ludicris illud consumeret: ut ne rebus extra virtutem positis tributum, frustra perderetur.* Hujus testimonium cum cæteris etiam illud est. Quum nuntiatum esset ephoris (hoc est magistratibus) Lacedæmoniorum, eos qui Deceliam occupaverant deambulationibus uti pomeridianis, mandatum dederunt ad eos: *«Ne deambuletis, tamquam voluptatem spectarentur illi potius, quam corpus exercerent. Nam oportere Lacedæmonios non deambulationibus, sed exercitiis bonam valetudinem parare et tueri.»* In utroque parum cautus speculator Uladislaus rex Bohemæ et Hungariæ fuit; hic enim molitiones procerum dissimulavit aut contempsit tanto silentio, ut difficile esset divinare, quid secum cogitaret; unde a quibusdam mutum idolum appellabatur, eo quod aliud non loqueretur nisi ad Bohemos, dobre, dobre: ad Hungaros, quorum linguam nesciebat, bene, bene. Interim illi sibi bene, regi male consulebant. Itaque per hæc duo verba idem significantia misere afflictum est utrumque regnum: oppida, arces, vectigalia plurima amisit, ita ut in Moravia nihil, in Boemia tenuissimum censum retineret, Dubrav. lib. XXXII. Clamare nimirum debuisset, et buccinam inflare contra gladium venientem.

Videtis jam auditores, habere unumquemque quod in vinea homini agat. Quare faciat quisque strenue officium suum, ut sic tandem una omnes a loco laboris vocemur ad locum mercedis, e vinea ad domum cælestis nostri patrisfamilias.